
Der Vf. wurde im J. 1834 Geheimer Ober-Regierungsrath. Bis dahin war er Regierungsrath zu Merseburg gewesen.

251


C.

Fig. 1.





4



DE

TROPAEIS

DISSERTATIO

QVA

IN ACADEMIAM PROFECTVRVS, PRAECEPTORIBVS ET AMICIS DILIGENTISSIME SE COMMENDAT

STANISLAVS KNOLLE A KNOLL

PRIMO ORDINI GYMNASII POSNANIENSIS ADSCRIPTVS.

LIPSIAE,

LITERIS FR. CHR. DÜRR.

MDCCCVIII.

VIRIS

ILLVSTRIBVS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS
PLVRIMVMQVE COLENDIS

FRIDERICO AVGVSTO
BROHM

ANTIQVARVM LITERARVM GYMNASII
POSNANIENSIS PROFESSORI

ET

IOANNI SAMVELI
KAVLFVSS

DOCTORI PHILOSOPHIAE, PROFESSORI
HISTORIARVM GYMNASII POSNANIENSIS,
SOCIETATIS LITERARVM VARSOVIENSIS
SODALI,

PRAECEPTORIBVS QVA DECET PIETATE
PROSEQVENDIS

HAS STVDII PRIMITIAS

D D D

AVCTOR.

Multis inter antiquitates Graecorum et Romanorum nequaquam ſatis adhuc explicitis, ut quarum ambitus impediat, quo minus ſingula quaevis accurate pertractentur, haud temere ſusceptum videatur opus paullo uberius de illis expoſituro, quorum, ſi mentionem aut aliquam aut nullam omnino ab antiquitatum illarum ſcriptoribus factam reſpexeris, nomine hominumve opinione ſolis neque ipſa re hucusque cognitorum certiſſima induatur perſuaſio. Ad haec jure referenda videatur quaeſtio de tropaeis, quorum licet nomen permultis in-

notuerit, vera tamen ratio adeo paucis perſpecta, ut a recta hujus vocabuli et pronuntiandi et ſcribendi ratione frequenter adhuc aberretur. Hinc, quae nunc elaborata prodit diſſertationis eſſe juſſimus, ut, quantum per noſtri ingenii tenuitatem liceat, quaevis de tropaeis tradita ſint, diſtinctius ea, quam vulgo fieri ſolet, exponantur.

Primum omnium ſatis conſtat, tropaea, graece τρόπαια, victoriae ſigna ita dici ἀπὸ τῆς τροπῆς [a]), ſeu ἀπὸ τοῦ τρέπειν, ſcilicet in fugam, διὰ τό ἐπὶ τῇ τροπῇ τῶν πολεμίων γεγενῆσθαι falſoque hinc a plerisque trophaea ſcribi. Ipſe Aldus Manutius in

a) *Iſid. Hispal.* Lib. XVIII. Etymolog. c. 2.

Epitome orthographiae Venet. 1575. 8. tropaeorum illam confulto praetermififfe videtur, quod hujus vocabuli fcribendi ratio per fe jam liqueat, ut ne tenuiffima quidem dubitatio commoveri poffit. Attamen complures, iique docti viri *trophaea* aliquamdiu fcripferunt opinione Marcelli Donati feducti, ita fcribendum effe afferentis, donec Cafaubonus omnium doctarum ineptiarum vindex grammaticum ipfum corrigere aufus fit [a]). Cellarius aliquanto poft perverfum iftud genus fcribendi plane exterminabat libro fuo de orthographia, ubi de tropaeis haec extant [b]):

a) *Cafaub.* animadv. in Suet. p. 10.

b) *Cellarii* orthogr. lat. edit. Harl. Tom. I. p. 12.

φ valet ph, et tantummodo Graecorum eſt, ut Phosphorus, φώςφορος. Non autem locum habet, ubi in Graeca origine non eſt, ac male Bosphorus ſcribitur et trophaeum, quia utrumque in Graecis π habet, Βόςπορος a πείρω trajicio, et τρόπαιον a τρέπω verto (*Clericus* Tom. II. Art. crit. p. 98 et *Diecman.* Spec. Gloſſ. p. 167. Heum.). Quae ſententia omnium conſenſu nunc ita comprobata et quaſi conſecrata, ut de ea decedere hominis prope inſani eſſet. Caeterum in ſpecimine rei numariae Morelli nummus Caji Peſcennii Nigri conſpicitur, qui invicto imp. *Tropaea* inſcriptus hanc recte ſcribendi rationem optime vindicet. Quibus autem formulis Graeci tropaeorum exſtructio-

nem exprimerent, has commentarius cel. Wolfii in Demofthenis orationem Leptineam nos edocet [a]). Praeterquam τρόπαιον στῆσαι τινῶν, κατά τινῶν, ὑπέρ τινῶν Graeci dicerent, ufitata ipfis quoque phrafis τρόπαιον στῆσαι ἀπὸ τινῶν, de qua Wolfii commentarius pluribus monet, oratorem ufum effe particula ἀπὸ, ubi tropaeorum auctor populus dicatur; ratione moris forfan habita, quo armis tropaea ornarentur victo hofti detractis. — In latinis refpondent formulae: conftituere, erigere, ftatuere et ponere de aliquo tropaea [b]). Apud

a) *Wolf.* Comment. in Dem. orat. Lept. p. 269, 300.

b) *Nizol.* Th. Cic. Baf. 1576. p. 1413.

Ammianum XXIII, 5. occurrit etiam participium verbi tropaeare i. e. tropaeis ornare. Apud Apulejum de mund. prop. fin. p. 75, 11. Elm. Iovis epitheton, quod graecae fit originis — Zeus tropaeophoros. —

Sed haec fufficiant de orthographia et etymologia vocabuli tropaei; unde ad aliam et memoratu quidem digniorem differtationis partem transeamus, ad defcribendas quidem formam materiemque, quibus in tropaeis ponendis veteres uterentur. Neminem noftrum profecto lateat, tropaeorum formam ac materiem temporibus omnibus haud easdem fuiffe, fed una cum illis effe mutatas. Fuerunt quidem Graeci primi, qui ho-

ſte fugato, omnem quam de eo cepiſſent praedam, arma, galeas, clypeos, aliaque hujusmodi in arbore, aut in oleaſtro, pacis tanquam ſymbolo, aut in quercu [a]) Iovi ſacrata ſuspenderent; unde et illud Iuvenalis

Bellorum exuviae, truncis affixa tropaeis
Lorica, et fracta de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victaeque triremis
Apluſtre — — — —

et Lucani

Stat magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro

---

a) *Iuven.* Sat. X, 133.

Exuvias veteres populi, ſacrataque geſtans
Dona ducum [a]).

Spolia ipſa in arbore hoc modo ſuffigebantur, ut virum armatum referentia Martis ſpeciem exprimerent [b]) atque nulla pars totius ornatus militaris in exſtruendis tropaeis deſideraretur [c]). Arbores a fuſorum hoſtium loco ſi juſto longius remotae eſſent, quod perſaepe accideret, alia adhibebant ſpoliis firmandis fundamenta, ſolis e lignis conſtructa priſcis quidem temporibus, quo facilius ea edaci rerum tempore diruerentur. Ab-

---

a) *Luc.* Lib. I. 135.

b) *Luc.* Lib. VI. 256.

c) *Eurip.* Heraclid. 786.

horrebat enim a consilio veterum, ut tropaeis perpetuis immortalis odii memoriam conservarent [a]). Qua de caussa Graecis parum probati fuerint, qui tropaeorum e lapidibus aut aere construendorum auctores existerent [b]). Graeci postea non minus atque Romani, quum, a pristino more paulatim recedentes, lignis tropaea non amplius constituerent, varia forma variaque materie in tropaeis ponendis utebantur. Nam ex aere tum [c]), la-

---

a) *Diod. Sic.* Lib. XIII. c. 24.

b) *Plut.* quaest. Rom. p. 273. op. ed. Franc. 1620. fol.

c) *Pausan.* Lib. 5. Eliac. prior. c. 177. *Vitruv.* de arch. lib. 2. c. 8.

pide [a]), marmore [b]) adeoque auro [c]) posita tropaea non ut antea in locis spectabantur, ubi hostes in fugam se vertissent. Vnde res eo tandem rediit, ut tropaea ab omni vetusto habitu nihil praeter nomen retinentia, arae potius in aeternam virtutis memoriam exstructae, quam tropaea compellari possent. Fuerunt tamen, qui tunc etiam tropaea antiquo ritu et more nonnumquam erigerent, de spoliis hostium, ut supra jam memoravimus, semper aliquid adjicientes. Finito proelio tropaea saepius etiam

---

a) *Strabo* lib. 4. p. 128. ex off. Vignon 1587. fol. *Flor.* l. 3. c. 3.

b) *Sil. Ital.* lib. VI. 663.

c) *Flor.* lib. II. c. 4.

ſolis e ſcutis hoſtium [a]) aut ex armis hoſtilibus aggeri, quem in modum tropaeorum conſtruerent [b]), impoſitis conſtituta. Neque hoc omiſſum, ut in clypeo tropaeis affixo incideretur titulus, qui victarum gentium, victoris, aliorumque in bello memorabiliter geſtorum, aut ipſius Dei, cui tropaeum dedicatum eſſet, explicaret nomina. Qui quidem titulus Graecis ἐπιγραφὴ ſeu ἐπίγραμμα appellatus, ſtilo atroque quodam pigmento, aut, deficiente eo, victorum victorisve ſanguine [c]), quod inter Graecos Othrya-

a) *Plut.* Parall. p. 306. in op. ed. Franc. 1620. fol.

b) *Tac.* An. lib. 2. c. 18.

c) *Plut.* Parall. p. 306.

dem, et inter Romanos Posthumium Albinum fecisse referunt, inscriptus legebatur. Figebantur nonnulla tropaea arcubus, quod Senatus Druso decrevit post victoriam de Germanis partam[a]). — Idem postea fiebat de Germanis Claudio regnante atque de Britannis[b]). Spolia lecta saepius, scuta, spicula, tubaeque cum solo vexillo sine arbore aut alio ligneo fundamine tropaeum repraesentabant, ut et nunc in quibusdam aureis nummis conspicimus[c]). Tropaea etiam

---

a) *Suet.* „Ei Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropaeis via Appia decrevit.

b) *Suet.* Claud. c. 17.

c) Vid. Fig. 4. tropaei hujusmodi de-

in ferculis seu feretris, quae per pompae occasionem circumferri solerent, nonnunquam constituebantur. Tale victoriae signum videmus adhuc in numismate Antonini Caracallae [a]), quo expressum prae se ferat triumphalem Caracallae currum praeeuntibus quidem duobus Parthis, quos pileatos, tropaeumque cum armis trunco suffixum ferculo sustinentes proponat. Ejus moris exemplum nobis exhibet Seneca in Troade

Argolici praeda triumphi
Subjecta feret colla tropaeo.

· sumpt. ex *Iocob de Bie* imp. Rom. num. aur. Berol. 1705. 4. Tab. 4. p. 12.

a) Vid. num. rar. max. Moduli. Amst. op. Wetst. 1685. 12. p. 48.

Variam tropaeorum speciem optime nummis antiquis gemmisque edocemur ad nostra usque tempora conservatis. Reperimus in omnibus effictis ita tropaeis thoraces semper fere eodem modo suspensos (vid. Fig. 1, 2, 3, 5, 6.). Tropaea autem de barbaris constituta, nullum omnino gestant thoracem, sed sagum aut aliud etiam vestimentum [a]). Attamen thoraces in Caesarei imperii tropaeis de Sarmatis victis conspicui [b]) testari videntur, quibus politiores uterentur

a) *Iac. de Bie* imp. Rom. num. aur. Tab. 16. Tab. 28. p. 63. Tab. 29. p. 64. Tab. 32. p. 70. 71. *Lev. Hulsii* imp. num. ser. Francf. 1603. 8. p. 35. No. 18.

b) *Iac. de Bie* Tab. 29. p. 65.

antea populi thoracibus, Sarmatis etiam illis proprios fuisse. Temporibus demum insequentibus, Constantinorum in primis sub imperio, tropaea de Barbaris nummis expressa rejecto cuivis barbaro vestitui [a]) Romanum substituunt; quo quidem tropaea non ut communia victoriae signa tunc temporis adhuc nummis Romanis expressa, moreque antiquo in universum non amplius ab illis posita probantur vel Barbari thoracis usum a Romanis ipsis mutuati. Memoratu dignum etiam est, quod in quibusdam tropaeis clypei seu scuta non e more consueto lateribus tropaeorum sus-

a) *Iac. de Bie* Tab. 51. p. 132. Tab. 56. p. 144.

penſa, ſed juxta depoſita conſpiciuntur [a]). Clypeis autem armisve ad tropaeum ſeu victoris columnam ita depoſitis Roſino quidem illius in devictos denotari videtur imperium [b]). Nec non victoriae navalis ſigna in oris maritimis exponebantur tropaea, prope quas navale proelium commiſſum eſſet, formae ab illis, quae terra reportatam ſignificarent victoriam, vix diverſae. Quae captae eſſent naves, in navalia vel campum Martium ſubduci ſolitae, quo victoriarum monu-

a) Vid. Fig. 2. deſumpt. ex *Gorlaei* theſ. num. Rom. 1605. fol. Tab. 38. ubi tria in nummo tropaea ſibi ſimilia hoc modo depicta vides.

b) *Roſin.* L. X. c. 29.

menta erigerentur ſpoliis navalibus exornata. Praeter publica loca, deorumque templa, privatas quoque domus Schefferus navium captivarum roſtris nonnunquam ornatas eſſe affirmat [a]). Externam tropaeorum navalium formam figura 5 exhibet, deſumpta e nummo Muſei Lipſienſis et figura 6 [b]), quibus apparet, unam fere formam eſſe tropaeis navalibus et terreſtribus. Si quis melius depictam eam deſideret, tabula, libro *Pitture antiche d'Ercolano* addita, (T. III. Tab. 39.) qua pictura ruderibus demum eruta Herculanenſibus proponitur, in primis commendanda eſt. Victoriam, quae

a) *Scheffer.* de Mil. naval. l. IV. c. 3.

b) V. *Iac. de Bie* Tab. 3.

ab omnibus antiquis hujus generis nummis gemmisque prope tropaeum adſtans et nunc hoc, nunc dum in altum feratur, Victorem ipſum corona condecorans exhibeatur, provinciis inſuper, quas ille devicerit, interdum conſpicuis, iisque quaſi ſortem ſuam lugentibus [a]), eodem conſtitiſſe deprehendes ibi loco, dextraque martellum tenentem. — Haec de tropaeorum natura ac forma, ne quae ſequantur intellectu difficiliora praeter neceſſitatem reddantur [b]).

---

a) *Gorlaei* theſ. Tab. 19. num. VI. p. 39.

b) Plurium auctorum de his dicta conferantur inter ſe, *Polyd.* quidem *Verg.* l. c. lib. II. c. 16. ad ult. *Vegetii* l. c. lib. I. 20. *Caſalii* l. c. p. II. c. 1. p. 174. *Aldrovand.* l. c. lib. 1. p. m.

Perdifficile fane eft, omnium rerum cauffas originemque cognofcere, et quaelibet longinquioris vetuftatis jam obfoleverint fitu, hisce omnibus acrioris ingenii lumen adferre. Quodfi quemque absterreat perpetuis circumducamur neceffe eft erroribus tetrisque tenebris, ut omnis quam a teneris inde perciperemus ex ftudio antiquitatis voluptas penitus peritura fit. Quum autem nihil tam alte abfconditum lateat, quod ingenio aut cogitatione quodammodo complecti non poffimus, quae conjecturis, veterumque fcriptis vere probabiliterve de

---

206. *Panciroli* notit. dig. utriusq. Imp. lib. de reb. bell. in Graev. thef. p. 1323 — 2019. *Aeliani* de inftruendis aciebus et *Bulengeri* de triumpho.

tropaeorum origine perſpecta habeam, aperte fortiterque proferam, ſperans fore, ut ſi quid erroris lectori oblatum fuerit, benevolam hujus concedat aetati veniam. Quae prima tropaeorum quidem exſtruendorum origo fuerit, aut qui primus moris ejus extiterit auctor, antiquitatis ultimae ſilentio adeo obliteratum, ut certi aliquid de his proferri nequeat. Licet ex Homeri, graecorum poetarum principis ac quaſi parentis, carminibus de tropaeorum origine parum liqueat; Graecos tamen prae caeteris omnibus civitatibus, fortuito magis, quam conſilio ductos, prima poſuiſſe tropaea nobis hinc perſuaſiſſimum habemus. Homericorum heroum nimirum mos, colligendorum in unum,

quaevis hoſtibus eripuiſſent, primam omnino tropaeorum conſtruendorum ſuppeditaverit occaſionem. Nam omnis ſpolia generis in cumulum[a]), qui, militibus atque imperatoribus praedam partitis, demum deſtrueretur, perinde erant coacervata, ac ſi victoriae ſignum exhiberent. Serioribus autem temporibus, quibus non amplius bello parta in unum congeri, ſed proelio commiſſo ſtatim dividi ſolerent, ſola ἀκροθίνια ſeu primitiae[b]), antequam de praeda quid diſtribueretur, Diis victoriae hoſtibus reportatae ſigno conſecranda in tropaeorum modum exponebantur. Quae

a) *Hom.* Il. I. 124. 126.

b) *Virg.* Aen. l. XI. 15, 16.

quidem cauſſa quoque fuiſſe videtur, quare tropaea deſtruere magnum nefas adeoque ſacrilegum facinus putaretur. Veteres enim, tropaea ipſa per ſe, quam humanis viribus dirui maluerunt, de everſis ita primitiis pergratam acceptamque Diis fuiſſe oblatam praedae partem augurantes; unde evenit, ut neque aere, neque lapidibus antiquitati conſtruerentur tropaea, quae Diis conſecrata fuiſſe epitheta hinc Iovi, Iunoni, Marti, aliisque Coelicolis addita *τρόπαιῳ τροπαιούχῳ*, quae nunc in compluribus antiquitatis monumentis adhuc legantur, ſat luculenter demonſtrant. In his igitur tropaeorum initia, argumentaque quaerenda ſint, quibus ducti poſt fugatos ſtatim hoſtes ipſo, quo fu-

ſi eſſent loco, in Deorum gratiam, qui victoriae adjutores perhiberentur, tropaea conſtituerent. Sed poſtea effuſis in luxum temporibus, quum homines ritus patrios tanquam ſacros non amplius colerent, ab iis autem plane disceſſiſſe dedecori videretur, victores non tam religione et ſanctimonia, quam inani potius oſtentatione permoti, tropaea erigebant, id inprimis ſpectantes, ut aere facta victoriae reportatae aeterna ſiſterent monumenta. Neque minus tum conſtitutorum tropaeorum multitudo, ſicuti triumphorum erat honorifica, ut victoria hinc tropaeum ſive triumphus metaphorice diceretur. Sic noſter Demoſthenes formulam: majores noſtri permultas reportarunt victorias, hisce

exprimit verbis: πολλὰ δ' οἱ πρόγονοι καὶ καλὰ ἔστησαι τρόπαια (multa et praeclara majores nostri erexerunt tropaea). Quum igitur, ut supra jam diximus, in his praecipue locis, unde hostes propulsi fuissent, tropaea statuerentur, idque vel nullo alterius utrius partis sanguine facto contingere posset, haud perverse dictum est proverbium ἀναίματον ἔστησε τρόπαιον; τρόπαιον enim et νίκη eandem metaphoricam habent significationem, νίκην autem seu victoriam ἀναιμακτὶ etiam reportari posse facile intelligitur.

Consideremus nunc leges, quas de tropaeis constituendis veteres sanxerint. Tropaea utpote Deorum alicui consecrata loco movere nefas du-

cebatur; hinc nunquam ea ab hostibus destruebantur, licet ad ipsorum cladem indicandam exstructa; quem apud Graecos sacrosanctum morem inter Romanos a Sulla, superbo cujuslibet vetustioris instituti contemptore, violatum accepimus [a]). Thucydides quidem refert [b]): Athenienses post pugnam in agro Megarensi Corinthis commissam tropaeum erexisse, Corinthisque non victos sed ipsos victores eadem sese declaraturis ratione, post turbulentam eruptionem Megaris factam tropaei conditi auctores interfecisse; hujus tamen ipsius ab iis destructi mentionem non facit. Nec

a) *Suet.* Caes. c. 12.

b) *Thucyd.* l. 1. c. 105.

prifcis etiam legibus vera tropaeorum veneratio conftituta, licet Iovis principis victoriae adjutoris effigiem exhiberent [a]); aut nulla eorum reparatio five inftauratio, ne, temporis oblivione cum certaminum fuperiorum monumenta quaelibet obliterentur, praeter omnem neceffitatem infenfa fuppeditaretur, ita novarum discordiarum litumve occafio. Qua de cauffa aegre fecerunt etiam plerisque, qui firmioribus tropaeis inque temporis aeternitatem erectis perpetuam belli confervare ftuderent memoriam. Hinc, tefte Cicerone, accufati funt apud Amphictyones injuriarum, qui Thebani Lacedaemoniis bello fuperatis, aene-

a) *Eurip.* Phoeniff. 1286.

um ſtatuiſſent tropaeum. Cui narrationi Cicero[a]), Grajis quidem bellum inter ſe gerentibus morem fuiſſe, ſubjicit, ut tropaeum aliquod a victoribus intra fines eorum ſtatueretur, victoriae tamen in praeſens modo tempus declarandae cauſſa, non ut perpetua ſervaretur eo belli memoria. — Haec fere ſunt, quae in tropaeis ſtatuendis maxime, ſed non omni tempore neque ab omnibus populis pariter obſervarentur. Reſtat, ut de gentibus, quibus erigendorum tropaeorum mos fuerit, paullo fuſius nunc diſſeramus.

Omnes fere, quantum ſcimus, antiquitatis populi, quodam cum Grae-

---

a) *Cic.* de invent. l. II. c. 23.

cis vinculo conjuncti, aeque ac Romani, hanc consuetudinem tenuere, ut de hostibus victis tropaea constituerent. Antiquissimis jam temporibus in Graecia tropaea erecta fuisse edocemur scriptis Pausaniaé, qui, haud procul ab Aesculapii templo tropaeum exstare, a Polluce, quantum perhiberetur, de Lynceo victo erectum, in Laconicis suis enarrat [a]). Quae vero vel a Diis ipsis constituta, vel qualibet ratione suam hinc duxisse dicantur originem, priscorum illorum temporum sunt, quibus veram eorum rationem atque naturam vix ullius eruere valeat ingenium studiumque. Attamen, quum tropaeorum sub

a) *Pauf.* Lac. l. III. c. 96.

iisdem formis ac nominibus constituendorum mos haud uno eodemque tempore, sed paulatim ad complures prorepsisset populos, nihil certi de veris eorum initiis constat, nisi usum eorum antiquissimum fuisse. Quis enim est, qui columnas, quas Herculem rebus a se gloriosissime gestis in montibus Calpe et Abyla stitisse ferunt [a]), inter antiqua victoriae monumenta jure referenda neget. Neque in ambiguo putaverim, Graecos primos tropaeorum auctores dicendos; licet de gente ipsa hujusve duce, qui caeteris omnibus priores ea constitui jusserint, parum adhuc lique-

a) *Pind.* Isthm. Δ. ἀντ. a. 9. 10. *Plut.* de fac. in orb. Lun. p. 944. B.

at. Caranum quidem Macedonum regem victo in pugna Cisseo, qui finitimis imperaret, Argivorum ritu tropaeum constituisse tradunt [a]). Quibus dictis si fides habenda, Argivis tropaeorum erigendorum mos jam erat DCCCXI ant. Christ. Lacedaemoniis etiam antiquitus hunc morem fuisse receptum testatur Plutarchus [b]), quae sequitur narratiuncula. Argivis et Lacedaemoniis de agro Thyreatico altercantibus, Amphictyones singulari hominum utrinque lectorum certamine rem decernendam censuerunt, victorique agrum decreverunt istum. La-

a) *Pauſ.* Boeot. l. IX. c. 315.

b) *Plut.* Parall. p. 306. *Val. Max.* l. 3. c. 2. par. 4.

cedaemonii gentis ſuae Othryadem quendam ſummae rei, Argivi Therſandrum praefecerunt. Proelio ipſo Argivorum duo ſuperſtites manſere Agenor et Chromius, qui victoriae reportatae nuncium referrent. Compoſitis ita rebus Othryades vivus adhuc fultusque haſtilibus diffractis, quibus ea detrahere poſſet, caeſorum ſcutis tropaeum erexit, ſuoque ſanguine Iovi tropaeorum tutori (Διῒ τροπαιούχῳ) conſecratum voluit. Redintegrata lite Amphictyones in rem praeſentem congreſſi, litem ſecundum Lacedaemonios dederunt. — De alio etiam tropaeo regis Ageſilai loquitur Plutarchus [a]), conſtituto ſub Narthacio

a) *Plut.* Lacon. apoph. p. 211. ad ult.

poſt fuſos qui, copiis ejus certamine laceſſendis eum urgerent, Pharſalios. Proditumque memoriae eſt, Lacones, quod Perſas parva manu viciſſent, porticum Perſicam exſtruxiſſe. Praeter alios Pauſanias [b]) tropaeorum aliquot antiquorum mentionem injicit, quae in Elide exſtructa reperirentur, Eleis quidem, quantum titulus referat, ob victos Lacones auctoribus. De Thebanis idem fere ex eodem Pauſania compertum habemus. Miſſis enim brevi ante Leuctricam pugnam, qui Deorum oracula, et quod Labadiae praeprimis coleretur numen, conſulerent, quae Delphis data ſint ab Iſmenio, Ptooue reſponſorum comme-

a) *Pauſ.* Eliac. prior. l. V. c. 177.

moratio fit; Trophoniumque ſenariis heroicis ita vaticinatum eſſe perhibet:

Ne petite ante hoſtem ſacrum quam cura tropaeum
Sit vobis poſuiſſe hic, ſcutum ornate quod acer
Fixit Ariſtomenes Meſſenius ipſe inimicas
Scutatorum acies infestaque tela refringam.

Renuntiato hoc oraculo impetraſſe a Xenocrate precibus Epaminondam tradunt, ut arceſſitus clypeus tropaei inſignibus et ornamentis quo erectum fuiſſet loco Lacedaemoniis conſpicui adjiceretur. Praeter Thebanos antiquioribus Macedones etiam temporibus tropaeis ſtudebant eringendis, poſt Carauni vero tropaeum a leone,

qui proruptus ex Olympo exit, subversum, prorsusque abolitum priscum deseruere morem. Neque Caraunus, qui meritas a se luisse intellexerit poenas, quod isto monumento sibi ipsi spem omnem gratiae finitimorum praeripuisset; neque successorum aliquis, ne quos infensos haberent animos, eorum sibi reconciliandorum quaevis praecideretur occasio, ullum in posterum excitari jusserunt tropaeum [a]). Hinc, quod certissimum rei ipsius videatur argumentum, Philippus Amyntae filius Chaeroneam juxta non magis, quam uspiam de Barbaris Graecisve devictis ullum po-

a) *Pausan.* Boeot. l. IX. c. 315.

ſtulavit tropaeum, ipſique adeo Alexandro neque de Dario, neque de Indicis victoriis hujusmodi quid unquam erectum. Solis Illyriis devictis Philippus tropaeum in commiſtae pugnae loco excitaverit ſecundum Diodorum [a]), cujus dicta nummo Philippi apud Goltzium in Gr. Tab. XXXI, 1. etiam vindicentur, ut quo homo nudus repraeſentatur in trunco erecto tropaeum conſtituens adjectis ſimul literis B. Φ. A. i. e. *Βασιλέως Φιλίππου Αυτοκράτορος.* Attamen Perdiccam quoque contra patrium morem regum Macedoniae in bello Peloponneſiaco tropaea ſtatuiſſe Thucydide per-

C 2

a) *Diod. Sic.* l. XVI. p. 512.

ſuademur [a]). Caetera quae Macedonum ipſorum dicantur tropaea, aut a Romanis, aut ab aliis populis conſtituta ſint. Apud Athenienſes Miltiadem poſt patriam praeſenti, quod Perſarum impetu conflatum eſſet, periculo liberatam de illis victis tropaeum conſtituiſſe ferunt. Nec Periclem novies pro patria victorem huic unquam infenſum extitiſſe mori. Vix ullum reperiatur etiam tempus, quo plura ac clariora erecta fuiſſent tropaea, quam belli Peloponneſiaci turbis. Athenienſes quidem viginti trium, Peloponneſii quinque, Corinthii duorum conditores fuiſſe perhibentur, praeter quos Mantineis, Cor-

---

a) *Thucyd.* lib. IV. c. 124.

cyraeis, Sicyoniis, Stratiis, Tegeatis, Boeotis, Acarnanibus, insuperque Syracusanis [a]), quorum dux Agathocles de Poenis etiam posuerit Syracusis tropaeum, tot erecta sint victoriae monumenta, ut omnis Graecia hisce quasi referta videretur. Nec serioribus post bellum illud finitum temporibus, si Plutarcho habueris fidem, cujus Apophthegmata tropaei circa Corinthum Epaminondae aetate ab Atheniensibus constituti mentionem faciant [b]), Athenienses ab hac tropaeorum erigendorum consuetudine recesserunt. Hinc vix ulla Graecorum civitas plura Atheniensibus statuerit omnino tropaea,

a) *Sil. Ital.* l. XIV. 652.

b) *Plut.* Apophtheg. p. 192. E.

ut qui omnes non ſolum terra, ſed etiam mari res a ſe geſtas ſempiternae memoriae huiusmodi monumentorum auxilio mandare cuperent. Ita Thucydides [a]) ſcriptis ſuis, Athenienſes poſt fugatos ad Aratum Phormione proelii navalis duce Corinthios, captasque duodecim naves, tropaeum in promontorio Rhio ſtatuiſſe refert; neque poſtea id omnino omiſſum pugnis quidem navalibus ad Naupactum [b]) atque ad promontorium Cynoſſema proſpere commiſſis [c]). Corcyraeos deinde, erigendis in Leucimna Cor-

a) *Thucyd.* lib. II. c. 84.

b) *Thucyd.* lib. II. c. 92.

c) *Thucyd.* lib. VIII. c. 106.

cyrae promontorio Sybotisque[a]), ac Peloponnefios, pugnae navalis ad Symam[b]) victores tropaeis, Athenienfium mores fecutos effe. Vnde res eo tandem perducta, ut aliorum etiam non femper bellicorum certaminum hujusmodi ftatuerentur monumenta. Stratonicus enim, referente Athenaeo, poft victos qui cithara fecum certaffent Sicyonios, confecravit in Aesculapii templo tropaeum ita infcriptum — Stratonicus a male cithara canentibus —. Memoratu digniffimum eft, quod de Aegyptiaco quodam tropaeo Herodotus et Diodorus Siculus me-

---

a) *Thucyd.* lib. I. c. 30. ibid. c. 53.

b) *Thucyd.* lib. VIII. c. 124.

moriae prodiderint [a]). Sesostrin enim ubique terrarum bello acquisitarum cippos erexisse narrant hisce propriis Aegyptiorum literis fere inscriptos: hanc provinciam armis suis pervicit rex regum et dominus dominorum Sesostris. Quos quidem cippos de strenuis libertatisque studiosis gentibus, si intra earum statuisset fines, virile pudendum, de ignavis timidisque contra, quarum urbes nullo proelio facili cepisset negotio, muliebre expressum retuli. Poenis etiam tropaeorum simile quid usitatum fuisse e Livio Andronico colligimus, suas porticus Romanis spoliis adornasse refe-

---

a) *Herod.* l. *Euterp.* 102. c. 106. *Diod. Sic.* l. 1. c. 55. ed. Wessel. Amst. 1744. fol.

rente. Carthaginiense tropaeum Silius Italicus his denotare verbis videtur:

— — — praeda et captiva leguntur
Corpora, direptaeque viris sub Marte cruento
Exuviae, fausti superis libamina belli.

Cariis etiam haud ignotum fuisse tropaeorum usum, Vitruvius testatur [a]). Artemisia Mausoli uxor de Rhodiis victrix, quantum apud illum legatur, tropaeum in urbe Rhodo suae victoriae constituit, duarumque statuarum aere factarum alteri Rhodiorum civitatem, alteri suam insculpi jussit imaginem. Ejus exemplum secutus

---

a) *Vitruv.* de architect. lib. 2. c. 8.

est Numenius dux apud Antiochi exercitum, qui aestuante vadoso et reciproco mari post fusos jam proelio navali Persas mox aestu reverso, pedestri certamine victor, gemina tropaea Iovi et Neptuno in Arabia posuerit. — Ipsis tropaeis triumphisque, quorum utroque victores ornari solerent, nihil posthac intercederet discriminis, nisi quod victus illis, his debellatus etiam declararetur hostis [a]).

Haec hactenus. Nunc de Romanorum tropaeis, quibus vere conditis conspiratu plurium quodam reclamari videatur. Tropaea tamen Romanos etiam posuisse, quamvis id ipsum lo-

---

a) *Perizon.* animad. hist. c. 6. p. 214. sq. Amst. 1685.

co quodam apud Florum [b]) refutetur, persuasissimum habeo. Cujus quidem disertis verbis, cum nulla omnino Romani statuisse dicantur tropaea, vix dubii quidquam obscuritatisque inesse possit; modo caeteris ea Flori dictis constent, neve certiorem ita adulterii moveant suspicionem. Nam ante non minus quam post hunc locum suspectum in omnibus quos scripserit historicorum libris permulta, quae Romani posuissent tropaea, commemorantur. Quae cum ita sint, quis jam Florum sagacissimum alias fidelissimumque historiae Romanae auctorem aut contra ipsam veritatem in vanam Romanorum laudem haec

b) *Flor.* lib. III. c. 2. §. 7.

ſcripſiſſe, aut verba - - - - nunquam enim populus Romanus hoſtibus domitis victoriam exprobravit - - - - omnino interpolata eſſe neget. Quod quidem facile fieri potuiſſe, quum gloſſematis loco tantum margini adſcripta pro dictis auctoris in codicem ipſum mſc. ab imprudentibus librariis ſaepius recepta fuerint, cuique perſpicuum ſit. Verba autem - - quum hic mos inuſitatus fuerit noſtris - - ex mea quidem opinione vindicari poſſint. Modus nimirum, quo Fabianus et Domitianus in erigendis tropaeis ducerentur, inuſitatior omnino Romanis hucusque fuerit; tropaeorum autem quae conſtituerint ipſi, tantus profecto numerus, ut, licet apud multos alios Graecos et Latinos

dispersa prostent scriptores, recensendis illis omnibus supersedere Floro optimum videretur. Virgilio saltem si fidem habeamus, priscis jam temporibus erigendorum tropaeorum mos ab Aenea in Italiam delatus. Nam Aeneas occiso Mezentio apud Virgilium [a])

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi magne tropaeum
Bellipotens. Aptat rorantes sanguine cristas

---

a) *Virg.* Aeneid. lib. XI, 5.

Telaque trunca viri, et bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis, clypeumque ex aere ſiniſtrae
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Locus profecto clariſſimus de tropaeorum, quae viderit Italia aetate ac forma. Licet exinde pateat, quam Graeci a Trojanis mutuati ſint erigendorum tropaeorum conſuetudinem, Aeneam in Italiam deportaſſe. Mirum forſan cui videatur, nullum tamen poſt Romam jam conditam tropaei hujusmodi veſtigium apud ſcriptores Romanos extare. At longe alia tunc temporis erant apud Romanos victoriae ſigna, ſpolia quidem, quae illorum tropaeorum ſpeciem modo re-

ferrent. Arma, thoraces et quaevis alia ex hoſtibus capta in celeberrimis exponebantur templi partibus Deorum alicui conſecranda. Spolia opima autem, arma ipſius hoſtium obtruncati ducis Romulus omnium primus obtulerit ipſe Iovi Feretrio [a]), cujus quidem decoris fortuna poſt illum bis modo per omne reipublicae Romanae tempus ducibus ejus contigerit. Haec igitur victoriarum monumenta civitatis Romanae primordiis tropaeorum loco ponenda, neque tum plane abolita fuiſſe, quum Graecorum illa jam iis ſubſtituta fuiſſent, perſuaſiſſimum habeo, maximam inpri-

a) *Flor.* lib. I. c. 1. *Liv.* hiſtor. lib. I. c. 10.

mis, quae ſpoliis tropaeisque interceſſerit, ſi reſpexerim ſimilitudinem. Nam praeterquam, quod in porticibus ſuffixa ſpolia [a]) eandem fere cum tropaeis formam haberent, pariter atque tropaea detrahere aut collapſa reficere nefas ducebatur. Hinc Plutarchus etiam perſpecta hac eadem tropaeorum ſpoliorumque ſimilitudine, arctiſſimo allegoriae vinculo in quaeſtionibus ea inter ſe jungit [b]). Tropaea autem in Graecorum morem exſtructa, liberae demum Romae, quantum ſcimus, temporibus apud Romanos reperiuntur. Nam Poſthumius Albinus, qui circumventus intra ſur-

a) *Liv.* lib. XXII. c. 57.

b) *Plut.* Quaeſt. Rom. p. 273.

culas, quales audiunt plerumque Caudinas, Samnitium inſidiis, gravique vulnere ictus cum tribus ibi periret legionibus, primum poſuiſſe fertur tropaeum [a]). Intempeſta quidem illa nocte hic jam moriturus, caeſorum hoſtium ſcutis tropaeum ſtatuit, quo manum illitam teneret cruore ita inſcriptum: *„Iovi tropaeorum vindici de Samnitibus Romani poſuerunt.“* Satis antiquum et navalis quidem Romanorum victoriae tropaeum illa Duilii videtur eſſe columna, de qua Silius Italicus [b]):

---

a) *Plut.* Parall. p. 306.

b) *Sil. Ital.* lib. VI. 663. *Pet. Ciacconii Toletani* de colum. Duilii. *Quint.* Inſt. Orat. lib. I. c. 7. *Montfaucon*

Appius adſtabat pugna, lauroque revinctus
Iuſtum Sarrana ducebat caede triumphum.
Aequoreum iuxta decus et navale tropaeum
Roſtra gerens, nivea ſurgebat mole columna;
Exuvias Marti donumque Duilius alto
Ante omnes merſa Poenorum claſſe dicabat.

Columnae ipſi, inſcripta legebantur haec: *Biremosque*, *Triremosque*, *Naveis X cepit*. Nec plura etiam tropaeorum non poſſint addi exempla a Romanis conſtitutorum. Quis enim

---

l'antiquité expliquée. Tom. IV. prem. part. p. 174. à Paris 1719. fol.

aureum illud ignoret tropaeum caesorum Gallorum torquibus a Flaminio erectum [a]). Quis Domitii Aenobarbi Fabiique Maximi illa armis exornata hostilibus, turribusque in saxeis collocata [b])? Viriatus etiam Romanos imitatus post Claudium Vnimanum victum in montibus quas teneret trabeis fascibusque quas cepisset Romanis, struxit tropaea [c]). Idem C. Marius fecit, cujus de Iugurtha, de Cimbris atque Teutonibus exstructa tropaea, turbisque deinde Syllanis disjecta, Caesar postea restituit [d]). Haec quae

a) *Flor.* lib. II. c. 4. a. u. c. DXXX.

b) *Strabo* lib. IV. p. 128. ex off. Vignon. 1587. fol. *Flor.* lib. III. c. 2.

c) *Flor.* lib. II. c. 12.

d) *Suet.* in Iul. Caes. c. 11.

Marii Catulique tuerentur tropaea memoriam, e campis Aquae Martiae in Capitolium translata recentioribus etiam temporibus ibi conſpiciebantur. Quantum Pomponius Laetus referat, poſt Sancti quidem Euſebii aedem utrumque poſitum erat tropaeum; alterum thoracem cum ornamentis et clypeis expreſſum ante ipſius victoriae imaginem, alterum bellica cujuslibet generis inſtrumenta geſtabat, clypeos ſimul atque veſtes. Integra vero quae receperit Capitolium tropaea, horum nunc extant modo ruinae [a]). Tropaeorum quidem, quae

a) Il Mercurio errante di P. Roſino in Rom. 1700. 12. p. 45. Trattato nuovo delle coſe maravigl. del la città Roma in Rom. 8. 1600. *Borrichii* ant. urb.

area viderit Capitolina in Marii honorem, haec fere erat inſcriptio:

SIXTI V. PONT. MAX. AVCTORITATE CAJI
MARII VII. COS. DE TEVTONIS ET CIMBRIS
E COLLE EXQVILINO, ET RVINOSO AQVAE
OLIM MARTIAE CASTELLO
IN CAPITOLIVM TRANSLATA
ERECTIS BASIBVS
ILLVSTRI LOCO RESTITVENDA CVRAVERE
PAVLVS AEMILIVS ZEPHIRVS, HIERONYMVS MORONVS, POMPEJVS
CAVALLERIVS, COSS.
DOMINICVS DE CAPITE FERREO, PRIOR
ANNO SALVTIS MDXC. [a])

Rom. fac. p. 1545. c. 7. §. 3. in Graev. Theſ. Tom. III.

a) *Amad. de Benignis* lib. var. intr. Ital. mon. inſcript. Stregae 1715. 8. p. 53.

Sylla ipſe, Taxio copiarum Mithridatis duce fuſo, duo tropaea erexerat a Pauſania poſthac in Chaeronenſium agro reperta [a]). Nec non Metelli a pluribus commemoratur ſcriptoribus tropaeum de Sertorio conſtitutum, item Claudii illud, quod Bojis devictis e Gallorum torquibus fabricatum magnique ponderis Iovi deinde Capitolino dono fuerit oblatum, victoriae quidem triumphique index. Pompejus devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis conſtituit jugis [b]); Druſusque tum ex inſignibus Marcomannorum ſpoliis tumulum in tropaei modum con-

a) *Pauſ.* Boeot. l. IX. c. 315.

b) *Sal.* hiſt. Frag. XII. ap. Virg. IX. 6. Serv.

ſtruxit[a]) Navale Auguſti tropaeum, poſt partam apud Actium victoriam M. Antonii Cleopatraeque ſpoliis exſtructum, laudat Suet. in Aug. c. 27. Reperiuntur etiam numi aurei, quibus memorabile hocce inciſum ſit tropaeum[b]). Alius tropaei ſeu columnae roſtratae, in ejusdem Auguſti honorem in foro collocatae Romano cum ſtatua ejusdem aurea, mentionem facit Appianus[c]). Neque ipſa libertate jam amiſſa, Caeſarum quidem temporibus, Romanorum ſuperbia de vetuſto illo deſiſtere potuit more. Ita poſt

---

a) *Flor.* lib. IV. c. 12.

b) *Iac. de Bie* p. 9. tab. 3.

c) *Appian.* de civil. Rom. bell. lib. V. c. 130.

proelium Germanis commiſſum, in quo Arminii fortitudo praecipue excelluiſſet, auctore Tacito tropaea poſuerunt. Miles enim ipſo proelii loco Tiberium imperatorem ſalutaviſſe, aggerique exſtructo tropaeorum in modum ſubſcriptis victarum gentium nominibus arma impoſuiſſe, apud Tacitum perhibetur [a]). Germanicus vero, de victis nationibus inter Rhenum et Albim, ſtructis molibus marmoreum Tiberio conſecravit monumentum. Nec non de Parthis tropaea arcusque in medio Capitolino monte, Caeſarum temporibus, Romae conſtituta [b]). Neque praetereundum, quod Plinius nar-

a) *Tac.* Annal. lib. II. c. 18.

b) *Tac.* Annal. lib. XV. c. 18.

rat de tropaeo Alpio, cui inſcripta legerentur: Imperatori Caeſari divi fil. Aug. Pontifici Maximo — S. P. R.[a]). Nummi praeterea antiqui, qui in pluribus de re numaria libris expreſſi reperiuntur, ſatis ſuperque teſtantur, tropaea ſerioribus etiam temporibus uſitata fuiſſe. Nam praeter illa Claudii, Vespaſiani et Domitiani numismatibus inſculpta, quae porticibus ibi ſuffixa comparent tropaea[b]), tria ſpoliis ornata conſpiciuntur in nummo L. Veri in honorem excuſo Armenorum, Parthorum, Medorum-

a) *Plin.* hiſt. nat. lib. III. c. 20.

b) Rom. princip. et eor. quae in Ital. imperia fuerunt lib. I. p. 31. monet. 37. ibid. p. 51. mon. 68 et p. 53. mon. 71.

que victoris [a]). Idem deprehendimus in nummo Probi Germanorum victoris in memoriam facto, cujus pars aversa tropaeum exhibeat in trunco erectum sago, clypeo aliisque armis adjectis galeaque vertici imposita [b]). Exstat etiam alius, cujus tropaeo Stobenses Getae Augusto Septimii Severi filio quas reportarit victorias, gratulari videntur [c]). Alia quaedam Tyriorum moneta in antica parte tropaeum, deamque Astarten capite tutulato prope adstantem, postica caput laureatum

a) *Lev. Hulsii* imp. Rom. p. 35. n. 18.

b) *Hulsii* p. 107. n. 53.

c) *Erasm. Froehlich* quat. tent. in re num vet. Viennae 1737. 4. p. 103.

Heliogabali repraesentat [d]). Invaluit tandem mos, quo aeternandae gloriae caussa Romani imperatores in nummis suis devictorum arma trunco suffixa tropaei in modum insculpi juberent; quod novissimis adeo temporibus non esse omissum, nummo Ioannis Austriaci probatur, quo victoria a Turcis 1570 reportata navali celebretur tropaeo. Exemplum Turcae ipsi, vera nostrorum temporum barbaries, secuti, quantum e Bajazeti secundi nummo Selimique illo intelligatur simillimum antiquissimis illis prae se ferente tropaeum. Ad medii autem jam progressis aevi imperatores

d) *Froehlich* p. 112.

proxime obvium detur omnino Theodoſii tropaeum, poſitum brevi poſt deductos, quos viciſſet, ad Mutinam urbem Taifilos. Formam hujus tropaei a conſueta maxime abhorrentem Calcagninus lib. 2. epiſt. 2. ita fere deſcribit: quod fodeius, inquit, quam in celeberrima urbis parte proſtitutae mulieris effigiem, partes, quas ſine pudore appellari non liceat, et quas obtegi verecundiae interſit publicae, oſtentantis, advenis quibuscunque obviam dari! poſtremae et conclamatae adeo laſciviae atque imbelliae non poteſt non ita moveri ſuſpicio. — Nihilominus a Theodoſio[a]), ipſum ita

a) *Baron.* An. eccl. T. IV. p. 588. T. V. p. 11. ed. Antv. 1594. fol.

Sefoſtrin ſeſe profeſſo, crux etiam, ſicut jam ante hoc tempus a Conſtantino M. [a]) deſignandae victoriae tropaei antiquioris loco adhibita. Neque imperatorum Chriſtianam profeſſorum religionem, in conſtituendis victoriae monumentis, nullus deinde Theodoſianum illud imitatus ad recentiſſima usque tempora. Nullus unquam terrarum erat locus, quem ipſorum ditioni ſubjunctum, haec ſacra deſtituerent victoriae monumenta. Iamque tantus eorum erigendorum temporibus illis erat furor, ut nunc etiam Miſſionarii, quales vocantur, Crucigerorum more, paganis alicubi victis, vel Chriſtianam potius profi-

---

a) *Baron.* An. Tom. III. p. 72.

teri religionem perſuaſis [a]), crucem pro tropaeo defigant. Omnium, qui Theodoſio ſuccederent, imperatorum in nummis, non tropaeum, ſed ipſius loco crux reperitur expreſſa; quippe qua omnium victoriarum adjutrice vel chriſtianae religionis de barbarorum impietate et idololatria triumphus, vel ipſe terrarum orbis adjuvante illa domitus quaſi, ſubjugatusve declaretur. Vnde crux, et jam ab ipſo Victoriae numine praelata, ſolaque lauro revincta, in nummis conſpicitur. Veras autem ibi crucem tropaeorum vices tenere, praeter Valentiniani Pii nummum in victoriae de Hunnis aliisque populis

---

a) *Baron.* An. eccl. T. I. p. 601.

partae memoriam cuſum, permultis aliis etiam intelligitur e nummis, qui Valentiniani ſucceſſores ſui auctores agnoſcant, a Iacobo de Bie diligenter collectis. Nec non in Childerici ſepulchro, praeter multa alia, numismata quoque reperta, quae Crucigerorum victorias non tropaeis, ſed crucis ejusmodi effigie celebratas repraeſentent [a]). Recentiſſimis tandem temporibus, quibus ſuperſtitioſam illam fortior quaedam priſtinaeqne Romanae ſimilior exciperet aetas, nummi non amplius cru-

---

a) Theſaur. Sepulchr. Nerviorum efſoſſus et commentar. illuſtr. auct. *Io. Iac. Chifflet.* Antv. 1655. 4. p. 252.

cibus tropaeisve insigniti, sed vanorum jactationis monumentorum loco vera restituta tropaea. Nam, ut in promptioribus cuivis e recentiorum temporum historia subsistamus, quis non recordetur extemplo tropaei, a Friderico Guillelmo magno Brandeburgensium electore, quantum perhibeatur, in portis Berolinensibus constituti; quis non illius, a Friderico magno Borussorum rege, in porta positi, quae Brandeburgica audit. Aliud insuper, quod famosissimae Rosbachiensis victoriae in memoriam indigenae constituerint tropaeum, accuratius profecto aliis jam descriptum reperitur in libris, quam ut, quaecunque demum addenda forent, hisce omnibus

brevis ejusmodi ſuperſedere non poſſit commentatio, inutilia quaevis reſpuens. Quod jam ex ultima quaſi depromptus antiquitate tropaeorum uſus noſtrae reſurgat aetati, Napoleoni debeamus primo, non ſuae modo aetatis maximo duci, ſed omnis ante ſe memoriae, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pari: quippe invictus ipſe imperator, in fortiſſimi exercitus, ſingulorumque ipſius ducum laudes, tropaeum inſigne Pariſiis conſtrui juſſit; et monumento quidem ejusmodi, quo juſta imperatorum ſummo probaretur veneratio, a Gallis ipſis ante jam ad *Mont Geneve* conſtituto, ſecuti eorum exemplum noſtri Poloni, tropaeum, quantum ſperemus,

mox erigent [a]) de Europaearum gentium nominibus triumphatore dignum, propiusque venerandae accessurum antiquitati, cujus studiorum ac laborum aemulos semper, sedulosque imitatores sese praestiterint.

---

a) Gazeta Poznańska No. 71. 1808.